VIII.

1430, März 14.

In nomine domini, Amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadringentesimo tricesimo, indictione octava, mensis Marcii | die decima quarta, infra quintam et sextam horas post meridiem, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Martini | divina providentia pape quinti anno tredecimo, in mei notarii publici ac testium subscriptorum vocatorum ad hoc specialiter et | rogatorum presentia personaliter constitutis honorabili viro Godefrido van den Eychorn armigero ex una nec non discretis viris Mathia Lauwart, Tilmanno Stieler de Wailhoeren et Katherina de Eschwijlre, muliere Coloniensis diocesis, partibus ex altera, iamdictus Godefridus prefatos Mathiam, Tilmannum et Katherinam alloquens ipsosque humiliter rogavit, ut coram me notario publico et testibus infrascriptis et ad hoc vocatis quilibet sub suo diceret iuramento, quid de excubiis ante domum eiusdem Godefridi factis dicere sciret et deponere quodque non deponeret aliquid vel aliquid diceret causa amoris, precis, favoris, ire vel rancoris, sed dumtaxat puram diceret veritatem. Ipsisque Mathia, Tilmanno et Katherina quod sic et ita dicentibus et facere volentibus, antefatus Godefridus me notarium infrascriptum debite requisivit et rogavit, qualiter eorum dicta et depositiones scriberem fideliter priusque de veritate dicenda iurare facerem, atque sibi desuper unum publicum conficerem instrumentum. Ego vero notarius subscriptus considerans quod [1]) iusta petenti assensus non est illi denegandus prefatosque Mathiam, Tilmannum et Katherinam in et ad testes recepi, quemlibet sub suo iuramento examinavi. Et in ordine Mathias Lawart testis primus habens in etate sexaginta annos, ut asseruit, erectis digitis iuravit per deum et omnes sanctos eius dicere veritatem quid sibi de premissis per ipsum Godefridum expositis et narratis constaret et etiam super quibus a me notario publico subscripto interrogari contigerit. Item interrogatus dixit, quod sex aut septem eorum ante domum dicti domicelli Godefridi cum fustibus et gladiis stare vidisset, tam ante quam retro transeuntes ibique penes dictam domum facientes pausam; quid tamen facere pretendebant ignorat et ignoravit sed dici fama volante audivisset quod excubie et vigilationes fierent dumtaxat propter dictum domicellum

[1]) *Fehlt in der Vorlage.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Godefridum van den Eychorn ac etiam Godefridum Proefft; [1]) aliudque inde dicere nesciens causam sue sciencie reddens super hiis et per ea que predixit item interrogatus dixit, quod non deposuit prece, pretio, amore, timore, ira, rancore vel odio sed solum pro veritate dicenda et quod de suis depositis commodum sive lucrum habere non speraret. Deinde Katherina de Eschwilre testis producta, habens in etate annos quadraginta, ut asseruit et realiter ex aspectu sue faciei poterat apparere, iuravit suis digitis erectis per deum et omnes sanctos eius dicere veritatem super hiis et in quibus eam per me notarium subscriptum examinari contigerit. Item interrogata dixit, in duabus vel tribus noctibus septem quandoque sex cum fustibus et gladiis circum et circa domum dicti Godefridi de Eychorn transeuntes, pausam ibidem facientes ac sepius se vertentes stare vidisset dicique hoc idem a quodam Wilhelmo de annulo aureo audivisset ac etiam aliis personis utriusque sexus, dictasque excubias sepe ad tertiam vel quartam horam post mediam noctem durasse vidisset; sed quid facere presumebant hoc ignorat et ignoravit: dici tamen audivisset huiusmodi excubias ob domicellum Godefridum de Eychorn et Godefridum Proefft esse et fuisse factas. Aliudque dicere nesciens, causam sue sciencie reddens super eisdem que predixit, item interrogata dixit, quod non deposuit prece, pretio, odio, amore, favore, ira vel rancore sed simpliciter propter veritatem dicendam quodque de suis depositionibus lucrum vel commodum non haberet nec imposterum habere speraret. Postremo Tilmannus Stieler testis tertius, habens in etate annos viginti sex, ut asseruit, iuravit erectis suis digitis per deum et omnes sanctos eius dicere veritatem super quibus ipsum a me notario subscripto contigerit interrogari. Item interrogatus dixit, se in duabus noctibus vidisse ante dictam domum dicti domicelli Godefridi interdum quinque aut sex quandoque septem fustes, clavas et gladios habentes, et quod dictam domum libenter per foramina inspexissent si illud potuissent, etiam eorum aliqui fenestram stabuli, ut sibi testi loquenti apparuit, accesserunt, per quam libenter fenestram inspexissent si valuissent, multotiens etiam dici audivisset huiusmodi excubias esse factas propter dictum domicellum Godefridum de Eychorn et Godefridum Proefft. Aliud aut alia inde dicere nesciens quam taliter ut predixit, item interrogatus dixit quod non deposuit prece, pretio, amore, timore, rancore, ira vel odio sed

[1]) *Der in dieser und in der folgenden Urkunde genannte Godefridus Proefft ist unzweifelhaft identisch mit dem in Urkunde XIV. erwähnten Godart Proist. Der Name dieser Achener Familie findet sich gewöhnlich Proist oder Proest geschrieben.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

solummodo pro sola et mera veritate dicenda quodque etiam de suis depositis lucrum sive commodum habere non speraret nec haberet.

Acta fuerunt hec Traiecti Leodiensis diocesis in domo prefati domicelli Godefridi de Eychorn, sub anno, indictione, mense, die, hora et pontificatu quibus supra, presentibus ibidem honestis viris Johanne de Molendino inferiori et Arnoldo de Bueckholtz opidanis Traiectensibus, laycis Leodiensis diocesis, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Georgius Lutzenburch de Aquisgrani, clericus Leodiensis diocesis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius, quia premissis omnibus et singulis, dum sic ut premittitur fierent et agerentur unacum prenominatis testibus presens interfui eaque sic fieri vidi et audivi, ideo hoc presens publicum instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci et in hanc publicam redegi formam signoque et nomine meis solitis et consuetis signavi rogatus et requisitus, in fidem et veritatis testimonium omnium premissorum.

Nach dem Original im Stadtarchiv (XIII. 62.) *Pergament: 26½ Centim. lang, 23½ Centim. breit.*

Auf der Rückseite von gleicher Hand: Instrumentum testimonii Mathie Lauwartz, Tilmanni Stieler de Wailhoeren et Katherine de Eschwijlre.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf